1565 9 Julij                    Ex Archivo Capituli Varmiensis.

655

157

# Stanislao Hosio.

Sigismundus Augustus DEI Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lith. Russiae, Prussiae etc. Dominus et Haeres.

Reverendissime in Christo Pater sincere Nobis dilecte. Deliberatum est Nobis Generosum Petrum Barzi Castellanum Premisliensem et Capitaneum Leopoliensem in Hispaniam Oratorem mittere, ut negotiis Nostris Barensibus, quae ut scit Sinceritas Vestra magnis Nostris sumptibus atque laboribus jam pridem sustinemus, finis iam tandem imponatur. Quoniam autem Sinceritas Vestra totam eam causam habet procul dubio cognitam et perspectam, nec ignorat quid aut defuerit Nobis aut obfuerit hactenus, quo minus jus Nostrum a Rege Catholico et Necessario Nostro obtinere posse videremur, hortamur Sinceritatem Vestram ut ad Nos per eundem Cubicularium Nostrum perscribat consilium suum, quidnam huic Oratori Nostro committendum esse existimet, quod a Rege Hispaniarum diligentissime Nomine Nostro petat atque postulet, quo autem copiosius Nobis Sinceritas Vestra consilium suum perscripserit, hoc et ad Legatum ipsum Nostrum instruendum aptius, et ad promerendam gratiam Nostram accomodatius fecerit. Interim autem Sinceritas vestra tacitum habebit, cui potissimum munus id Oratoris simus Commissuri. Bene valeat. Datum Knyszinii Die 11 Mensis Julij Anno Domini M. D. LXV Regni vero Nostri XXXVI.

Ad Mandatum Sacrae Regiae Majestatis proprium.

Reverendissimo in Christo Patri Domino Stanislao Hosio Divina miseratione Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali et Episcopo Varmiensi sincere Nobis Dilecto

Posylam do Hiszpanii Piotra Barzi Kasz. Przem. w Interessach Barskich daje mu informacie.

Italica. Neapolitana.

n 18071